

Mf 41.
(2)



182v

NICOLAI
CLENARDI
CIRCA
MUHAMMEDANORUM
AD
CHRISTUM
CONVERSIONEM
CONATUS.

DESCRIPTI

A

D. JO. HENR. CALLENBERGIO
Th. & Ph. Prof. publ. ord.

PARTIC. II.

HALAE

In Typographia Instituti Judaici
MDCCXLII.



1600 VI
G E M I S C H
M U S I C A
C O R I S M U
L I B R O
U N I V E R S I T Ä T S - u . L A N D E S B I B L I O T H E K
H E L D E R





IV.

Venit inde Granatam. Hic in arce, Alhambra dicta, residuebat Marchio, Mondejaranus, qui universæ provinciæ Granateni præerat. Clenardus cum nulli cognitus esset, jubebatur a quodam salutare hunc marchionem. Qui cum causam suscepit a Clenardo profectionis audivisset, conatum ejus juvare cœpit. Hinc Clenardus misit ministrum, qui Maurum Almeriæ quereret, & Marchio ad ejus herum Clenardi gratia scripsit. Sed ducentorum ducatorum pretium herus poposcit. Duobus interjectis mensibus, Clenardus ipse ad Maurum profectus est. Interea creverat merx arabica, & postulabantur ducati trecenti. Maurus hic, Alfaki titulo inter suos insignitus, Meccam semel atque iterum inviserat, & Muhammedo adhuc erat deditus. Clenardus ipsum omnino arabice doctissimum cognovit, sicut ei dictum fuerat.

A 2

V.

Dictum fuerat. p. 26. lin. 18. 31. & 33. p. 27. lin. 2. & 10. p. 31. lin. 24. p. 33. lin. 19. p. 42. lin. 22. p. 51. lin. 30. & 35. p. 215. lin. 14. p. 216. lin. 12. & 24.

V. Ne tamen institutione viri careret, accepit conditionem, quam his verbis tulit marchio; se curaturum, ut Mauro uteretur Granatæ, modo ipse sibi & filio operam suam in græcæ lingua studio commodaret. Ita factum est. Clenardus temporis partem patrōnō ejusque filio, græcas dissentibus litteras, impendit, reliquis autem horis doctore Mauro plenius haurit linguam arabicam, cum illo lectitans Alcoranum.

VI. Nunc longe alio ejus spectare cœperunt studia arabica. Etenim sub hac lectione, & ex colloquiis præceptoris sensim animadvertisit, quam fœdis erroribus gens Muhammedica involuta sit, atque pereat. Tangit hoc animum ejus, multumque ipse dolet, tot seculis neminem inter Christianos exortum, qui cum Muhammedanis lingua, his nota, in disputationis arenam descendisset remedium tanto malo adhibiturus. Videlit, hoc facere rem esse utilem; propiusque judicavit ad munus theologicum accedere, illum sibi præfigere scopum, quam vertere græca, aut aliud quid hujusmodi agere. Intellexit,

Lectitans Alcoranum. p. 27. lin. 2. & 10. p.
28. lin. 16. & 21. p. 29. lin. 11. p. 35.
lin. 13. & 32. p. 36. lin. 7. p. 42. lin.
28. p. 51. lin. 35. p. 62. lin. 6. p. 215.
lin. 14.

tellexit, rem fieri posse; se gratia Dei noctum occasionem, ut aliquam ad eam muniat viam, omnia investigando superstitionis mysteria. Quapropter, sive Deus hunc ipsum voluit suscipere laborem, sive temere hoc iniit consilium, nihil magis ei arridere cœpit, quam id, ad quod invitaverat Franciscus Victoria, hoc est, ut jam Muhammedum oppugnare studeret.

VII. Statuit, omissis linguis omnibus, in quibus hucusque posuisset studium, omnibusque aliis curis relictis, quicquid ætatis sibi Deus reliquum faceret, id totum huic uni negotio consecrare, nec conquiescere, donec tantum promovisset, ut calamo & lingua arabice valeret sensa exprimere, atque ita præsens & absens cum Muhammedanis controversiam disceptare. Consilium quoque erat, non cessare, donec pervestigasset omnia muhammedanorum fundamenta.

A 3

IX.

Oppugnare studeret. p. 28. lin. 17. p. 32.
lin. 11. p. 33. lin. 10. & 33. p. 35. lin.
13. p. 42. lin. 29. p. 51. 22. p. 62. lin.
6. & 24. p. 63. lin. 5. p. 215. lin. 22.
& 33. p. 245. lin. 9.

Fundamenta. p. 36. lin. 15. p. 42. lin. 4. &
33. p. 43. lin. 23. 29. & 34. p. 44. lin.
8. & 11. p. 45. lin. 17. p. 47. lin. 24.
p. 48.

IIX. Invasit animum cupiditas, multos sibi pii laboris conciliare socios; & primo quidem eos, qui, acquisita arabice scribendi loquendique facultate, vel absentes calamo, vel instituendis colloquiis coram cum muhammedanis, maxime in Africa, configere vellent, nec pro veritate mori reformidarent. Illis, qui sic animati essent, ipse arabicæ linguæ elementa traditurus erat, eosque anni spatio eo provecturus, ut arabice loquerentur.

IX. Deinde aliis quoque viris eruditis, præsertim theologis, quorum conditio non ferret studium arabicum, ansam oppugnationi errorum muhammedicorum inserviendi præbere constituit. Stabat sententia, fideliter latinis donare, quicquid in ea superstitione possum est: ante omnia vero Alcoranum ex Arabico in latinum sermonem vertere; at non nudum objicere vulgo, sed adjectis notis, & docto-

p. 48. lin. 26. & 27. p. 52. lin. 35. p. 62.
lin. 11. & 21. p. 63. lin. 4. p. 64. lin.
23. & 27. p. 199. lin. 13. p. 204. lin.
27. p. 207. lin. 27. p. 215. lin. 34. p.
216. lin. 27. p. 219. lin. 5.

Arabice loquerentur. p. 35. lin. 30. & 37.
p. 43. lin. 1. & 20. p. 44. lin. 9. p. 48.
lin. 27. p. 64. lin. 23. p. 200. lin. 30.
p. 216. lin. 2.

doctorum rationibus confutatum. Et cum animadvertisset, quosdam studiosos homines pruritu ad scribendum ferri, libenterque eloquentiam ostentare; illis, translata in Latinum fabularum muhammedicarum farragine, daturus erat dicendi materiam, ne necesse haberent, muscas laudare, & in re nihili bonum otium terere. Arbitrabatur enim, tum satis argumenti habiturum, cui de perpetuo Christi sacerdotio differere animus esset; non impium fore, declamare contra personatum paracletum. Fore putabat, ut plus suppeteret materiae, si quis demonstrare adgredetur, Christum a Judæis occisum, quam si aquilam impeteret scarabæus.

X. Noverat, libros Hebraicos, qui Venetiis a Bombergo excudebantur, in omnes orbis partes deportari ad Hebreos; in Africam, in Æthiopiam, Ægyptum, Indiamque. Id in suo negotio imitari cupiebat Clenardus. Videlicet Alcoranum edere decrevit cum versione latina, & omnibus ejus locis, ubi ab Evangelio deslegit, cum Latine, tum Arabice præsidio ex suis aliorumque theologorum rationibus adjecto. Id quod Mauri sui auxilio expeditissimum fore sperabat, et si ille Christum non amplectetur. Præsertim in Africam

Impeteret scarabæus, p. 33, lin. 12. & 36.
p. 44, lin. 6.



cam exemplaria mitti posse existimabat. Hæc atque ejus generis alia jam in animo secum versabat Clenardus, nulla, ut asseveravit, gloriæ cupiditate ductus; sed credens, optimum se fructum e suo linguarum studio reportaturum, si eas ita pietati, & religioni christianæ juvandæ accommodaret. Orbis, ajebat, cœpit græcas ac hebraicas litteras excolere. Sane ornementum accessit hominibus studiosis: verum si hac via prolatæ fuissent christianæ religionis pomoeria; vera gratulandi esset ratio. Id autem minime spectavit, quod sperare poterat, ita se novæ professionis arabicæ auctorem dictum iri; nec eo directum fuit ejus studium, ut medicis restituendo Avicenna, aut philosophis, corrigendo Averroë serviret.

XI. Instituti hujus antimuhammedici fundamenta in academia Lovaniensi jacerent constituit, eoque adducere Maurum, magistrum suum, & ipso uti in discendo, docendo, ac scribendo. Patriæ quidem desiderio tenebatur, sed nec alibi hæc commodius institui posse creditit.

XII.

Averroë serviret. p. 33. lin. 17. 19. & 30.
p. 43. lin. 23. 29. p. 44. lin. 60. p. 62.
lin. 15. & 18. p. 194. lin. 30. p. 200.
lin. 31.

Possit credidit. p. 31, lin. 22. p. 42. lin. 3.
p. 43.

XII. Cum appeterent calendæ Julii
cicicxxxix. quo tempore se patriam repetitum
prædixerat, Clenardus jam abiturus vi-
debat, cum nihil vellet minus. Statuerat
enim quidvis parti, quo suum secum abduce-
ret præceptorem, jam domestica consuetudi-
ne illius litteras expertus. Marchio & filius
ipsum retinere conabantur; saltem menses
duos auferre volebant, ut interea filius ad
perfectiorem græcae linguae scientiam prove-
heretur. Videbat Clenardus, Maurum hunc
emtum donaturos, modo per bimestre spati-
um maneret. Tamen ne quid fucate ageret,
ultra illum adiit, conditionem laturus. Dona-
te, inquit, hunc mihi Maurum; subfistam hic
vel ad ipsum usque Januarium. Donabimus,
inquit, etiam si mille constiterit aureis.

XIII. Connibatur, ut undequaque nan-
cisceretur codices, quibus sectæ hujus myste-
ria continentur; Librum in primis quæsivit,
ante plures annos editum a theologo christia-
no, qui, cum descivisset a CHristo, pro Mu-
hammedo scripsérat; quod scriptum eo con-
silio expetebat Clenardus, ut jacula tentaret,

B

qui

p.43. lin.9. & 16. p.53. lin.28. p.54. lin.
11. p.64. lin.9. 17. & 28. p.194. lin.24.p.
199. lin.7. p.200. lin.28. p.204. lin. 21.
31. & 37. p. 209. lin. 4. p. 216. lin. 24.

Constiterit aureis. p. 27. lin. 10.

quibus oppugnator ille sibi censuisset utendum. Granatæ nonnullos reperit libros, quos Maurus ipsi describebat, quod non erant venales, nec eorum alibi facile exemplar inveniri posse arbitrabatur. Marchio, conatus Clenardici juvandi studiosissimus, effecit, ut omnes etiam triremes Hispаниæ aptos viri hujus consiliis libros conquererent.

XIV. Cum in funere Augustæ purpурatus præsul Burgensis, Granatæ esset, benignè operam suam Clenardo pollicitus est, spemque fecit, se apud Cæsarem etiam de libris arabicis acturum, qui apud inquisitores reperirentur, ut ei potius prodeßent, quam Vulcano immolarentur. Erat præceptor Hispaniarum principis, filii Cæsaris, theologus quidam, Joannes Martinius Siliceus, Salmantico Clenardo cognitus. Illum Clenardus de suis consiliis facit certiorem. Siliceus sedulò ipsum adhortatur, ne tam pium animum deponat; promittitque: se curaturum, ut nihil ei desit, & Cæsarem non minus, quam omnes Hispaniæ proceres adfuturos fautores egregios, dummodo scholam hanc novam, totamque rem Granatae instituere velit; nam neophytes illos potissimum hoc instituto indigere.

Libros conquererent. p. 27. lin. 23. & 25.
p. 28. lin. 37. p. 33. lin. 12. & 31. p. 36.
lin. 7. & 17. p. 44. lin. 6. p. 61. lin. 37.
p. 216. lin. 6. 12. & 28.

re. Id si faciat, ipsum habiturum quoque libros, quotquot expetat, ab inquisitoribus. Respondet Clenardus: in Brabantia jacienda esse fundamenta: nequaquam Granatensibus sua destinari consilia, qui inquisitionis metu christianæ religionis simulent studium; sed eos se paraturum milites, qui cum Muhammedanis ipsis in certamen convenire possint. Credebat Clenardus, stipendum Lusitanicum, tanquam præmium laborum suorum, sibi etiam in patrio solo persolutum iri. Alioqui non rejecisset, quod obtulit Siliceus. Cæterum quod huic responderit, Principi suo, archiepiscopo Bracarense, statim scripsit.

XV. Id diligentia consecutus erat, ut cum praeceptore de re quavis confabulari ut- cunque posset, sic certe, ut alter alterum in- telligeret. Neque enim aliis inter ipsos huc usque habitus erat sermo, quam arabicus. Hunc denique magistrum, CLXXX ducatis emtum, Marchio Clenardo donavit. Man- cipium hoc Clenardus humanissime tractabat. Verum hoc supererat incommodum, quod librorum copiam in Hispania non potuit adi- pisci. Ab inquisitoribus nihil potuit obtine- re, quamvis omnem moverit lapidem, ut sibi

B 2 potius

Statim scriptit. p. 27. lin. 28. p. 43. lin. 10.
p. 199. lin. 20. p. 200. lin. 22. & 32. p.
216. lin. 16.

potius ad christiana sacra propaganda liceret uti codicibus, quam ut hi flammis perire sine-
tentur. Itaque consilium cepit primo vere anni MCXL. gravem pietatis causa profectio-
nem in Mauritaniam suscipere, & reliquos hu-
jus anni menses Fesæ transfigere inter Muham-
medanos, ut, comparatis ibi libris, inspec-
tione populi moribus, institutis & mysteriis,
ad pugnam antimuhammedicam redderetur
instructior. Non autem ibi disputare decre-
verat; hoc dilaturus in alterum iter, quod
ingredi statuit, primo absoluto, & re cum
doctis theologis communicata. Tum demum
cum Moslemis de religione colloqui volebat.

XVI. Hoc temporis tractu, ad Jacobum Latomum, theologum Lovaniensem, suum quondam præceptorem litteras dedit, eique suas fideliter exposuit destinationes, adje-
cta obtestatione, ut, si pro sua prudentia quid videret monendum, præceptoris libertate ute-
retur. Subjecit quoque: se suo tempore ad refutandum Alcoranum symbolam ejus expeti-
turum. Tandem, nixus spe porro sibi obven-
ti stipendii Lusitanici, mense circiter Martio

MDXL.

Colloqui volebat. p.35. lin.34. p.36. lin.7. &
11. p. 40. lin. 26. 28. & 34. p. 43. lin.29.
p.44. lin.6. p.63. lin.6. & 14. p.193. lin.
27. p.211. lin. 30. p.215. lin.21. p. 216.
lin. 9. & 29. p. 217. lin. 11. & 14.

MDXL. reliquo apud Marchionem Mauro suo cum reliqua familia discessit, venitque Gibraltariam.

CAP. V.

Periodus Africana.

I.

Anno MDXL. die X. Aprilis mare Herculeum trajecit Clenardus, sed salum expertus est admodum procellosum. Minister stomachabatur, quod herus ob steriles, infructuosasque litteras tot adiret discrimina. Clenardus ipse credidit, si semel in Europam rediisset, se non facile navigantis aleam iteraturum. Praeceptor ejus Granatensis, de quo magna in patria erat fama, scriperat amicis, quos hic habebat, de discipuli laudibus, adventu, causaque profectionis. Quo favor Maurorum, ipsiusque regis ei conciliata est gratia; adeo ut hic publicae fidei diploma miserit, prospiciens ei, quo sine peri-

B 3

culo

Gibraltariam. p. 24. lin. 7. p. 33. lin. 16.
& 17. p. 34. lin. 30. & 36. p. 35. lin. 7.
p. 36. lin. 9. 20. & 22. p. 37. lin. 2. p.
39. lin. 20. p. 40. lin. 13. p. 41. lin. 22.
p. 42. lin. 15. p. 200. lin. 20.

culo intraret Fesam, et si illud ad Clenardum non pervenerit.

II. Dicto die, nimirum decimo Aprilis, Septam venit, quod primum Africæ opidum est; exactoque quatriduo, petuit Tuytanum, ubi usque ad diem XXIX. Aprilis mansit. Quodsi vulgus hominum rescivisset, quo animo in hanc regionem pervenerit, lapidibus ipsum obruiisset. Sed Clenardus sic se gerebat, ut neque Mauros, nec Judæos timeret. Cavit enim, ne vel umbram consiliorum suorum viderent. Aperte prædicavit, se venisse descendæ linguæ gratia, & ut librorum sibi compararet supellectilem. Sedulo quæsiverunt, cur linguam percipere velit arabicam? Clenardus, se cæteras linguis didicisse, ait; defuisse hanc arabicam. In quem, inquiunt, usum? Est, inquit, apud christianos solennis linguarum complurium professio; docent græcas & hebræas litteras: ego adjicere volo arabicas, quarum nondum constituta est professio. Nam est apud nos Avicenna, est Averroes, & multi alii autores, non satis fideliter in latinum sermonem versi. Quodsi calleremus linguam arabicam, rectius istos auctores intelligeremus. Quod ad libros attinet, eos tan-

Non pervenerit. p. 37. lin. 8. & 27. p. 39.
lin. 36. p. 40. lin. 25. p. 41. lin. 34. p. 44.
lin. 21. p. 63. lin. 19. p. 216. lin. 29.

AD

dum

rilis,

op-

Tuy-

prilis

civis-

erit,

ardus

dæos

con-

cavit,

ibro-

edulo

arabi-

cisse,

n, in-

ianos

; do-

jicere

ta est

Aver-

eliter

llere-

strokes

, eos

tan-

2. 39.

P. 44.

9.

CHRISTUM CONV. CONATUS. 39

tantum nominat codices, in quibus sunt grammaticæ, præceptiones & vocabulorum farrago. Ultero ad disputandum neminem provocat, provocatus, respondet: se non venisse disputandi gratia, sed, ut linguam ipsorum discat. Die XIX. & XX. aprilis tantus Tuanensem concursus fuit, ut Flandrensem cernerent, qui legeret, scriberet, loquereturque arabice, ut vix spatium ipsi res necessarias peragendi relinqueretur. Cumque ejus sermonem vulgari puriore esse intelligerent, ac citantem audirent Alcorani locos: e libris enim illum hauserat: ipsum tanquam oratorem Arabicum suspiciebant. Adduxerunt adolescentem, sua opinione eximie litteratum, qui quinque annos Fesæ in rebus discordis triverat. Unde nihil aliud consequiti sunt, quam ut a Clenardo, multis præsentibus, in Grammatica confutaretur: quæ ejus victoria multis in conventiculis jaætata est.

III. Cum die XXIX. aprilis reliquisset Tuytanum, die IV. maji Fesam advenit. Pars urbis Judææ nomen ab incolis habet, suisque septa est muris; huc Clenardus se contulit.

B. 4

Eas-

Iactata est. p. 37. lin. 9. p. 39. lin. 22. p. 40.
lin. 16. 27. 33. 35. & 37. p. 41. lin. 19.
& 24. p. 46. lin. 20. p. 63. lin. 29. p.
65. lin. 27.



Easdem hic rationes studii linguae arabicæ memoravit, quas Septæ & Tuytani in medium attulerat; perrexitque in præcidendis disputandi ansis. Varii de illo tota urbe spargebantur rumores. Dicebatur: adesse quendam Casilum: sic vocantur litterati ex nostris: qui cupiat linguam addiscere arabicam; eum inter christianos aliquid esse: novum esse, ipsum linguæ condiscendæ gratia talem suscepisse profectionem: non expedire, ut quis doceat illum; cum alioqui verendum sit, ne turbam in populo faciat. In hac urbe præcipue servare Muhammedicæ religionis studium, plurimos esse viros doctos, & ingentem librorum reperiri copiam, cognovit. At magni laboris erat, emere codices, quod nullæ extabant tabernæ librariæ, aut illos hinc instar mercium avchere. Die veneris singularum hebdomadum, peracta precatione, solenni apud summum templum fieri solebat librorum auctio. Erat inerx cara, statimque ab omnibus magno pretio rapiebatur. Quod si quis liber iustæ magnitudinis erat, si non reperiebatur venialis, nisi per fragmenta. In hunc auctionis locum neque Christianis nec Judæis licebat intrare. Si nihilominus conati essent accedere, saxis obruti periissent. Tam religiose codices suos invidebant alienis a Muhammedo hominibus. Cæterum Judæum quendam
Clenar-



Clenardus in grammatica nactus est discipu-
lum.

IV. Alphakii quidam ex eorum nume-
ro, qui religionis ergo viserunt Meccam, in
conventu secretiore ajebant: in suis esse co-
dicibus, venturum in hanc regionem homi-
nem procerum e procul dissitis populis, ad-
versus Muhammedium; ipsum, & totam hanc
barbariem peragraturum, omniaque lustratu-
rum perquirendis codicibus, ac postremo eum
Marochii peritum. Servus christianus in
domo, ubi conventiculum illud habitum est,
hæc subauctando se dixit percepisse.

V. Statim ab adventu suo Clenardus
salutavit regem arabice, & cum eo ample col-
loquutus est, exposita profectionis causa. Rex
magnopere mirabatur, Clenardum sententi-
am suam utcunque arabicis verbis proloqui
posse; omniaque ei pollicitus est, dummo-
do hoc e Granata vocare vellet præceptorem.
Videlicet promisit, reddere emti pretium,
ejus copiam facere quotidie, quam diu hic fo-
ret, & permittere, ut cum ipso discederet in
Flandriam; ipsum in litteris Arabicis institu-
tum iri, & habiturum avehendorum librorum

B 5 facul-

Discipulum. p. 41. lin. 30. p. 44. lin. 15.

p. 52. lin. 37. p. 63. lin. 20. 23. 32. p. 65.

lin. 14. p. 201. lin. 21.

Dixit percepisse. p. 53. lin. 30.

facultatem. His & aliis conditionibus, quos Clenardus adjecit, hic magistrum in Africam redire patitur. Princeps, Henricus, litteras misit hujus argumenti: se gaudere, quod de-crevisset in latinam linguam vertere Alcora-
num; quod si pecuniæ indigeret ad libros comparandos, se ea de re aucturum apud fra-
trem, Regem. Sperabat igitur Clenardus,
Deum felicem inceptis suis coronidem impo-
situs.

VI. Sed homo, professione christianus, Lusitanus natione, qui tum Fesæ quoque erat, studiaque Clenardi omnibus modis debuisset juvare; fortassis regis Lusitanici procurator, per-
fide se adversus ipsum gesit, omnibus eum modis turbavit, ejus impedivit consilia; & quantum in ipso fuit, effecit, ut Clenardus nullo fere fructu in Africa vixerit. Tot præ-
terea per illum molestiis malisque exagitatus fuit, ut in iis fere contabuerit. In causa fuit
hic adversarius, ut doctum amiserit præcepto-
rem; apud regem barbarum eo rem adduxit,
ut nemini licuerit docere Clenardum, ipseque
speratis careret codicibus, quanquam iis qua-
rendis angeretur vehementissime; quin & in
capi-

Coronidem impositurum. p. 41. lin. 32. p. 42.
lin. 5. p. 44. lin. 24. p. 47. lin. 10. p. 63.
lin. 25. p. 193. lin. 22. & 27. p. 194. lin.
30. p. 200. lin. 33. & 36. p. 216. lin. 34.

capitis discrimen litteratorem hunc conjectit.

VII. Ansam calamitatibus magna ex parte præbuit quinque captivorum redemptio, a Clenardo suscepta, eoque nomine contratum æs alienum; unde ei cum fœneratoribus res esse cœpit. Princeps Henricus non ignorabat, quibus ille premeretur malis; verum enim vero ejus animus per adversarium abalienatus erat, adeo ut stipendium, quod Clenardo, vivo principe, quotannis debebat, ei non amplius solveretur.

IIX. His tamen adversis Clenardus se nequaquam a proposito abstrahi passus est, id maxime spectans, ut aliquot saltem homines ex gentibus Muhammedanis olim in salutis viam traduceret. In hac palæstra vitam finiendo retinuit consilium, spem fovens, se ita elucta-

Hunc conjectit. p. 48. lin. 12. 19. & 26. p. 63. lin. 26. p. 65. lin. 28. p. 200. lin. 37. p. 201. lin. 6. 12. & 24. p. 205. lin. 24. p. 207. lin. 8. & 34. p. 216. lin. 32. p. 217. lin. 1. 5. 11. & 20.

Amplius solveretur. p. 54. lin. 7. p. 184. lin. 1. p. 193. lin. 11. p. 195. lin. 28. & 30. p. 196. lin. 2. p. 198. lin. 33. p. 199. lin. 5. 17. & 31. p. 200. lin. 11. & 15. p. 201. lin. 6. & 12. p. 204. lin. 20. & 30. p. 205. lin. 28. p. 207. lin. 5. & 24. p. 209. lin. 2.

eluctaturum, ut sibi nihil desit, quod faciat ad exequendum destinata; paratusque in hoc rerum actu stipem emendicare, vel mortem oppetere violentam.

IX. Styli avidus erat, qui neque vernaculus esset, nec poeticus; sed talis, quali scripti sunt Alcoranus, & cæteri codices, in quibus dogmata Muhammedica continentur; ut inde exoriretur sermonis facultas, quæ saltem latinorum stilo scholastico conformis esset, quemque disputatio postularet. Eo per venerat, ut litteras arabicas in omnes christianorum angulos invehere conaretur; publice tamen eas nequaquam docturus, nisi ingens auditorum numerus præsto esset. Si auditores decessent, domi se cum præceptore his literis oblectare constituit

X. Etenim ratus, ægre sua consilia processura esse, nisi intra domesticos parietes secum haberet hominem Muhammedanum, cum quo sermonem quotidie institueret & lecti-

Oppetere violentiam. p. 40. lin. 7. p. 45.
lin. 17. p. 47. lin. 25. p. 48. lin. 27. p.
52. lin. 35. p. 53. lin. 20. p. 62. lin. 22.
p. 64. lin. 9. p. 194. lin. 26. p. 195. lin.
34. p. 202. lin. 37. p. 245. lin. 9.

Oblectare constituit. p. 48. lin. 31. p. 62.
lin. 34. p. 203. lin. 14. p. 204. lin. 36.
p. 237. lin. 7.

lectitaret; omnibus modis alium querere cœpit magistrum; nec defere aliquem putabat, vivo Marchione. Resciverat, Malaccæ, Cor-dubæ & Hispali litteratos detineri servos, na-tione Tunetenses. Eos convenire omnes cu-piebat, unumque ex illis emere. Si servum nancisci non posset, operam datus erat, ut liberum hominem sibi adjungeret.

XI. Putabat, se rationem invenisse, qua cogeret academias, ut vel invitæ contra Muhammedum disputarent. Doctis honti-nibus sperabat, se suam probaturum senten-tiam; &, Deo opitulante, omnia sic modera-turum, ut principes christiani proposito suo faverent, ferrentque auxilium.

XII. Destinabat ex Mauritania se tra-jicere, petereque Gades, inde, quæsito in via præceptore, Granatam contendere. Hic usque ad principis Henrici responsum se integrum erat servaturus. Sive maneret stipendium Lu-sitanicum, sive adimeretur, prosequi decre-verat studium arabicum; satius dicens, apud librum arabicum panis frustum edere, quam in hominum strepitu versari. Iter in poste-

rum

Sibi adjungeret. p. 64. lin. 20. p. 193. lin.
37. p. 204. lin. 28. p. 205. lin. 4. p. 209.
lin. 3.

Ferrentque auxilium. p. 63, lin. 2, p. 194.
lin. 27. p. 196. lin. 14.

rum hoc sine directurus erat, cum tota ejus vita ex linguae hujus studio pendereret. Salvo tamen stipendio, eo propendebat maxime, ut Granata proficeretur in Lusitaniam, ac inde recta se Lovanium conferret. Id ei quidem veniebat quoque in mentem, annon prius sibi Cæsaris adeunda esset aula, quam in Lusitaniam veniret. In eo autem hæsitabat, an repetendum esset Lovanium, si servitute præceptor ibi solveretur. Sublato stipendio, redditum sibi in Lusitaniam ac patriam omitendum esse arbitrabatur. Nec tamen continuo quamvis aliam amplecti conditionem statuerat, sed suo sumtu per biennium Granatae libere vivere inter Maurifios, rationemque cum solis litteris arabicis habere.

XIII. Præter memoratas adversitates alia subnascebantur destinatorum avocamenta. Spes ostensa est tituli ac beneficii canonicæ; Clenardus respondit in schola Arabica suum fitum esse beneficium canonicum. Aliis visus est insanire; ipse insaniam istam ajebat, sibi cœpisse placere, nec velle se videri saniorem. Invisam esse rem monachis animad-

Arabicis habere. pag. 54. lin. 9. p. 64. lin. 17. p. 183. lin. 35. p. 184. lin. 11. & 24. p. 193. lin. 37. p. 194. lin. 3. p. 199. lin. 4. & 35. p. 202. lin. 29. p. 204. lin. 17. p. 208. lin. 36.

advertisit, sibique ab his dira expectanda;
at eos jubebat insurgere, sibique facessere ne-
gotium.

XIV. Hoc temporis intervallo pluri-
ma proposuit consilia generalia, quomodo
Muhammedanorum ad Christum conversio
efficienda sit. Docuit, quis sit disputationis
cardo; præposteros rei gerendæ modos re-
jecit; quibus præsidiis opus sit, ostendit;
causasque monstravit, quibus nos ad curam
moslemicæ nationis suscipiendum oporteat
incitari.

XV. Cæterum arabicæ linguæ notitia,
quam attulit secum in Africam, ibi, necqui-
quam obstantibus impedimentis, non parum
aucta est. Porro didicit, libros, quos Hispani
in Tuneti expugnatione cuperint, venditos
esse in Mauritania, quin alias etiam ex Ar-
ragonie huc avehi; doluitque, interim se-
tantum inter barbaros quærrendis libris perpe-
ti angorem.

Faceſſere negotium. pag. 194. lin. 21. pag.

198. lin. 3. & 8. p. 204. lin. 27.

Oporteat incitari. pag. 44. lin. 11. pag. 51.

lin. 11. pag. 52. lin. 31. pag. 63. lin. 10.

pag. 197. lin. 28. & 33. etc. vid. dissert.
nostra de confiliis ejus.

Perpeti angorem. pag. 64. lin. 18. pag. 217.
lin. 17.



XV. Eo tum quoque incubuit, ut proposito suo plures conciliaret fautores & adjutores, sibique adjunctos retineret. Nominauntur Jacobus Latomus, Ruy Lopez, Martinus quidam, alias, Michaelis nomine commemoratur; Joannes Parvus, divi Jacobi in promontorio viridi episcopus; Joachimus Politus, Joannes Renes; Arnoldus Streiterius, abbas Tongelarenfis; Diestensis civitatis princeps. Extant epistolæ, quas illo temporis tractu ad Latomum, Parvum, Politam & Streiterium exaravit; aliaque, quas eadem de causa ad certos Hispaniæ proceres scripsit.

XVII. Audiverat, in Brabantia & ceteris illis regionibus Cæsar, extra Hispaniam sitis, non posse haberi servos, sed statim eos ibi fieri liberos, invito domino. Itaque imploravit operam Latomi, Streiterii, Renis, & civitatis Diestensis principis, ut per sororem Cæsar diploma consequerentur, quo sibi liceret, studiorum gratia, Lovanii cuiusvis conditionis homines alere, servos, liberosque, christianos, & a religione nostra alienos.

XVII.

Proceres scripsit. p. 42. lin. 22. p. 43. lin. 5. p. 60. lin. 26. p. 64. lin. 10. & 31. p. 67. lin. 10. p. 193. lin. 1. p. 194. lin. 34. p. 195. lin. 21. p. 197. lin. 37. p. 198. lin. 2. & 21.

Nostra alienos, pag. 64. lin. 14. & 27. p. 67. lin. 9.

CHRISTUM CONV. CONATUS. 49

XVII. Joanni Parvo, scripsit: Regem Lusitaniae animo & proposito suo nihil indignum facturum, si Conimbricæ, magnis etiam impensis, professionem conderet arabicam. Si quis dicat, quo sumtu professores alendi sint; se respondere, multa aureorum millia profundere regem in sanguisugas, quarum studio mundus ferreat litibus; se optare, ut hæc pecunia serviat professoribus linguarum.

XIX. Tum cœpit quoque amplam conscribere epistolam ad Christianos, sed ad finem non perduxit. Illis commendabat litteras Arabicas, ut earum præsidio legiones adjuvarent Cæsaris, &c., conjunctis copiis, tandem profigarent dirum istum orbis incubatorem, Muhammedum. Simul ab initio repetiit, quibus proiectus auspiciis jam totus in militiæ hujus meditatione versaretur.

C

XIX.

*Professoribus linguarum, p. 196. lin. 11. p.
197. lin. 9.*

*meditatione versaretur. p. 183. lin. 31. p.
200. lin. 4. p. 218. p. 219. lin. 11, & 37.
P. 237. lin. 4.*

XIX. Tandem, cum amici pecuniae
quid ad ipsum transmisissent, exeunte anni
MDXLII. æstate, Fesa relicta, die IIIX. Sept.
Azilam pervenit; unde in Hispaniam trans-
latus est.

CAP. VI.

Periodus Hispanica tertia.

I.

INITIO anni MDXLII. videtur Granatam
devenisse, patriam vero omisit, a Lusita-
nis desertus, metuque belli, ibi grassan-
tis, deterritus. Granatae tantisper sedit, expe-
ctans, si forte episcopus Carthaginensis pro-
positum suum juvare vellet.

II.

Hispaniam translatus est. p. 39. lin. 36. p.
40. lin. 7. p. 43. lin. 9. p. 53. lin. 27. p.
54. lin. 7. p. 183. lin. 35. p. 184. lin. 9.
13. 17. 18. & 22. p. 199. lin. 5. p. 204.
lin. 29. p. 205. lin. 3. & 6. p. 207. lin. 5.
& 28. p. 208. lin. 24. p. 209. lin. 2.
Juvare vellet. p. 211. lin. 20. p. 212. lin. 4.
p. 217. lin. 21.

II. Dehortabatur ipsum semel atque iterum Joannes Parvus a controversiis Muhammadanis; sed ipse, refutatis ejus rationibus, firmiter consilio inhæsit.

III. Quin die XVII. Jan. dicti anni ad ipsum Cæsarem, Carolum V. scripsit litteras; quibus exponit, quomodo ad studium hoc oppugnandæ superstitionis Muhammadicæ devenerit, quoisque in eo progressus sit, quibusque impedimentis illud retardetur. Orat Cæsarem, ut libros Arabicos, qui per Hispaniam comburantur, posthac suis finantur studiis servire; addens: quamvis sua hæc de juvanda religione sententia plerisque videatur nova, illam tamen non ejus esse generis, ut Cæsar, qui continenter bellum cum Muhammedo gerat, ulla ratione ab ea debeat abhorrere; ipsumque posse tam piam causam sine ullo suo incommodo juvare.

IV. Tenebat propositum omnia pati, ut sciret, quibus rationibus Muhammadica

C 2 nitatur

Consilio inhæsit. p. 211. lin. 22.

Incommodo juvare. p. 212. p. 217. lin. 26.



natur superstitio. Decrevit igitur, in Africam confessim recurrere, ac tenui viatico contentus esse. Utrum perfecerit hoc iter, nec ne, nondum certo cognovi. Verum id manifestum est, ipsum non ita multo post vitam cum morte commutasse.

Cum morte commutasse. p. 107. lin. 15. p.
210. lin. 34. p. 211. lin. 17. & 33.



Fe 2605

S'

1418

b. C.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

NICOLAI
CLENARDI
CIRCA
MUHAMMEDANORUM
AD
CHRISTUM
CONVERSIONEM
CONATUS.

DESCRIPTI

A

D. JO. HENR. CALLENBERGIO
Th. & Ph. Prof. publ. ord.

PARTIC. II.

HALAE

In Typographia Instituti Judaici
MDCCXLII.

